

758 Hæc porro Concilij Mexicani I. capita fuere, propterea latius à nobis, quam pro instituto videatur, expensa, quod in unum ipsa Lector habeat collecta, deficiente Concilij Codice, cujus Acta conscripsit P. F. Hieronymus de Mendieta Ord. Seraphici vicenno post Concilium habitum, ad nos delatus, quiq; pristina evolverat monumenta, de quibus altum Betancurtio & alijs silentium est, non alium fontem præter Mendietae Volumen indigentibus, quod ipsum Volumen nos etiam latet.

759 Quam verò fuerit Synodus hæc nostra prima christianarum fecunda virtutum, in Dei gloriam, & Catholicæ Romanæ Ecclesiæ ornamentum, atque Hispani decus nominis promanantium, si persequi oratione pro rei dignitate vellemus, & extra orbitam currere dicemur, & immensū negotium moliminis auderemus. Ne tamen omnino taciti prætereamus rem lectu jucundissimam nec à proposito dissidentem, non nulla summatis indicemus oportet, quæ laudatus Surius memoriam prodidit ab Caroli V Cæsaris Archivijs, authenticisque & gravissimis scriptis petita.

760 Ita habent. In solo Regno Mexicano jam pridem fuere (inquit scribens anno 1568) octoginta SS. Monasteria, & in dies plura sunt. Sunt ibi magni ubique Populi, multa & valide Urbes, pul-

cherrima ædificia & palatia ex latere & candido quoque marmore: Incredibilis frugum, auri, argenti, eris, & aliorum metallorum copia. Unica Urbs Mexicana centum viginti millia adium habet: vicina autem municipia, alia septem, alia quindecim, alia viginti, alia triginta, aliqua quadraginta, alia sexaginta, alia septuaginta domorum millia obtinent. Alijs verò interjectis multis, subdit: Et quidem anno Salutis 1524 venit in Civitatem Mexicanam F. Martinus Valentinus cum duodecim Monachis, tamquam Vicarius Patre à Carolo Cæsare illuc cum auctoritate ejusdem Pontificis missus: eodemque anno predicavit ille in Novi Orbis terra continente Evangelium Christi, & magnos illic progressus, magnaque incrementa Fides Christi accepit, & quidem ea ipsa Fides, quam Germani & plerique alij Europæi à Martino Luthero & alijs Sæctarijs malè persuasi, ut Papiſticam rejiciunt.

761 Et rursus. Idola omnia ex Templis exturbabantur, Crux Christi, & SS. Mariæ Virginis Imago in Templis reponabantur. Eucharistia populis ostendebatur. Missæ Sacrificium à Martino & Collegis duodecim pateſcebat: Evangelium Catholico more piè & purè annunciabatur. Indi verò paucis annis tot baptizabantur in ea Novi Orbis plaga, ut alij septies dena centena millia, alij quater decies dena centena hominum millia in solo illo Mexicano Regno baptizata retulerint. Magna etenim in eo Novi Orbis tractu est hominum

copia, adeo ut in Insula Fani Divi Dominici quindecies centena hominum millia fuisse reperiantur, & quandoque in Processione centum millia hominum se christiano more cæderint virgins.

762 Iterum post alia subjungit. Et certum est, omnes Indos, & novi Orbis Carolini incolas & accolos fieri quotidie magis ac magis christianos. In Archivijs Caroli Cæsaris lectum est, unum quemdam Sacerdotem septies centena hominum millia baptizasse (& hunc fuisse Joannem Gonzalez, Mexicanæ Ecclesiæ Canonicum, Academicæ Rectorem, sanctitate vitæ precelebrem, sunt qui non improbabili ter arbitrentur) alium ter centum millia, alium centum millia, alios plures, alios pauciores. In solo Mexico referunt multi summa fide dignissimi, triginta fuisse Dynastias, quorum quilibet habuerit sub se centum millia hominum aut circiter, & tria millia Toparcharum, qui & alios sub se habebant clientes fiduciaros, & beneficiarios, vasallos, valvasores, & valvacinos, qui Dynastia certa anni parte familiam suam alebant in Civitate Mexicana, Curia Regis Mottezuma, & ex ea non licebat illis discedere ad suas Provincias nisi Regis permissu, ac relictis sive filijs sive fratribus suis in Civitate obsidum loco; & quod dictu horrendum est, mille plerumque homines uno die in Civitate Mexicana immolabantur. Sed omnia idola exturbata sunt, demonibus silentium indictum, oracula & præſtigia conticescere jus-

se sunt, pluralitas uxorum in unius consortium est redacta: septem illis Sacramenta, & ceteri Romana Ecclesiæ ritus reverenter traditi sunt, nobis interim in Europa de horum contemptu, & novorum dogmatum complexu petulanter nobis applaudentibus, & tanquam mirifica reperta luce gratulantibus. Sed Deus præpotens, spiritus nobis contemptoribus, suam gratiam offert illis barbaris & ignotis gentibus, ut hæretici tabescant, omnes illas Romani Pontificis observantissimas, & veteris Religionis studiosissimas.

763 Hactenus ex Surio transcripta sunt satis, quibus, ceu ex rivulo fontem, initia quisque Mexicana Ecclesiæ & incrementa dignoscat, quantumque salutaris fuerit ea prima Synodus, quæ, accedentibus quotidie & Franciscanorum, & Dominicanorum, & Augustinianorum, & Clericorum viris egregijs, additisque postmodum Jesuitis, Carmelitanis, & Mercedencibus, in plurimos latitces ad vitæ æternam innumerabiliū animarum salientes, redundavit, affluitque etiamnum.

764 Hujus Concilij Mexicani meminere, quos diximus, Surius & Lopez Gomara citatis locis: Torquemada in Monarchia Indica tom. 3. Lib. 5. cap. 16. pag. 37. & Lib. 19 cap. 1. pag. 303 Edit. Madritanæ 1723. Betancurtius in Theatro Mexicano 4. part. seu Chronico Provincie S. Evangelij c. 4. p. 22. n. 108. Edit. Mexicanæ 1698. Agydius Gonzalez Davila, in Theatro Ec-

clesia Mexicana pag. 20. Pinos in Epit. Biblior. Occid. col. 788.

765 CONCILIUM MEXICANUM II, aliàs I habitum est in ipsa Imperiali Urbe Mexicanensi anno 1555 Præsidi & convocante Illmo. & R. D. M. D. F. Alphonso de Montufar Sacri Ord. Præd. Archiepiscopo Mexicano, assistentibus suffraganeis Episcopis Illms. D. D. Basco de Quiroga, Michoacansis, D. F. Martino de Hojocastro, Tlascalensis, D. F. Thomæ Casillas, Chiapensis, D. Joannæ Lopez de Zarate, Goaxacensis (qui inter ipsa Comitia è vivis excessit) absentis verò nomine & iustis de causis impediti Goatemalensis Pontificis D. D. Francisci Matroquin D. Didaco de Carbajal ejusdem Ecclesie Archidiacono: atque unâ cum Præsidi & Auditoribus ac Fiscali Regij Conventus Juridici, Decano & Capitulo Metropolitanæ Ecclesie adstantibus, concurrentibusque Decanis Tlascalensis, Xalicensis, & Jucatanensis harum Ecclesiarum Procuratoribus & suffragatoribus, Prioribus & Guardianis Monasteriorum, Senatu Mexicò, & eam è Clero, tum etiam ex ordine Equestri gravissimis viris, pro ut eruitur è Præsatione quam eidem Concilio præfixit Illmùs. ipse Archiepiscopus: nam monumenta aliâ deficiunt omnino pro ejusdem Historiâ hauriendâ, præterque Authographum ipsum Archiepisco-

pi & Episcoporum concurrentium subscriptionibus signatum, aliud est nihil in Archivio Ecclesie nostræ Metropolitanæ ad Concilium hoc atinens, cum tamen in ipso Tabulario quæque concernunt IV aliàs III omnia acta, consulta, & id genus alia inveniantur collecta. Itcirco & nomina memoratorum, qui adfuerunt, virorum præterea facimus, & cætera scitu jucunda silentio obvoluta relinquimus.

766 Sanè Illmùs Alphonsus Montufar ex quo Ecclesie Mexicæ cœpit præse, nullum non adhibuit vigilantissimi officium Præsulis, ut Diocesi suæ admodum valte, & Cathedrali nuper à decessore suo V. D. D. F. Joanne de Zumarraga erectæ, provideret, ut in ejus elogio litera A scriptum. Quod verò Metropolitanum fungeretur honore, onusque sub inde ferre deberet, institutis jam eo tempore Ecclesijs suffraganeis multis, atque in singulis rechristianâ progressus admitabiles plane capiente, è re sua duxit Provincie Episcopos in cœtum vocare, quorum consultationibus & suffragijs constituerentur ea, quæ pro Christianitate totis retro annis 34. mirum in modum excrecente, firmandâ, augendâque in conterminis Regionibus, etiamnum amplissimis, viderentur expeditiora, & pro Ecclesiasticâ disciplinâ tuendâ fovendâque aptiora. In hunc collimarunt scopum Concilij Decreta tria supra

nona-

nonaginta in suas ordinatè classes divisa, quæ subjectæ fuere Ordinationes pro Curijs Ecclesiasticis univèrsæ Provincie, & Edictum pro stipendio ipsarum ministris singulis erogando.

767 Capita porro sanctè & prudentissimè pro rerû lystemate statuta, Republicam omnem Provincie christianam concernunt, & cum Ecclesiasticos, tum etiam homines prophanos opportunè ad animarum salutem, incrementa Catholicæ Fidei ac cæterarum virtutum & Dei gloriam instituant. Ubi absoluta ea, & quæ diximus, alia fuerant, solennissimè ut publicarentur diebus 6 & 7 Novembris ejusdem anni 1555 in Ecclesia Cathedrali, è suggestu lecta fuere ab ejusdem Concilij Notario Petro de Logroño Præsbytero, coram Archiepiscopo & Episcopis dictis, Auditoribus Regijs Doctoribus Hertera, Mexia, & Montalegre, Regio Fiscali Maldonato, Apparitoreque nobiliori & supremo Gundisalvo Cerezo, assistentibus quoque Decano & Capitulo Ecclesie Mexicæ, & Goatemalensis, Xalicenci, ac Jucatanensi Procuratoribus, Equitibus & Rectoribus Urbis Mexicanensis, unâque cum Vicario Archiepiscopi generali Dôctore Alphonso Bravo de Lagunas, multis Archiepiscopatus & Provincie Vicarijs, frequentissimâque coronâ. Mox, ut cautum fuerat cap. 93 ejusdem Concilij, typis excusum

fuit hispano, quo conceptum erat, sermone, hoc titulo

Constitutiones Archiepiscopatus admodum insignis & fidelissima Civitatis de Tenutzilam Mexico Novæ Hispaniæ (utroque enim nomine, id temporis, Urbs amplissima dicebatur) in folio, constatque Liber folijs 49 integris, atque in postremâ pag. isthæc leguntur: Ad laudem & obsequium Dei jussit Illmùs. & Rdmùs. D. D. Alphonsus de Montufar Archiepiscopus dictæ hujus S. Ecclesie Mexicane typis excudi Constitutiones istas Synodales: quæ absoluta & excusæ fuerunt à Joanne Pablo Lombardo, Typographo primo in hac magnâ, insigni, & fidelissima Civitate Mexici, decima die Februarij anno ab incarnatione Dominica 1556.

Plurima causa fuisse exemplaria argumento est postremum Concilij decretum jubentis in singulis totius Provincie Ecclesijs ac Parochijs haberi eorum unam palam cunctis expositum, atque præterea Canonicos singulos, Beneficiarios, Vicarios, Rectores, Capellanos unum sibi quemque Codicem, gravi impositâ mulctâ coemere. In præsentiarum autem Liber est invento perarum etiam in Americâ nostrâ, in Europa verò vix notus, ad eò ut vigilantissimus & eruditissimus Cardinalis D. D. Josephus Saens de Aguirre t. 4. Collectionis maximæ Conciliorum omnium Hispaniæ & Novi Orbis pag. 292 Concilio Mexicano III, quod edidit, hæc

Ttttt

and scrip-

scripserit Præmonitionem ad Lectorem. *Concilium Mexicanum Provinciale I similiter & II citatur in hoc III nunc exhibendo. Verum neutrius eorum exemplaria, diu multum que quaesita, nancisci potuimus: ideo que nec licet indicare quonam anno, sub quo Præsule, aut circa quid celebrata fuerint.* Hactenus Purpuratus Scriptor. Concilij hujus meminere Agydius Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiæ Mexicanæ pag. 33. Joannes Diez de la Calle in Memoriali & notitijs sacris, &c. Ind. Occid. fol. 46. col. 2. Torquemada in Monarchia Indica tom. 3. lib. 17. cap. 20. pag. 263. edit. 1723. Betancurtius in Tract. Urbis Mexicæ cap. 4. pag. 22. num. 109. Medina in Chronicis Provinciæ S. Didaci Mexicanæ fol. 236. n. 825. Pinelus in Epitome Bibliot. Occid. Edit. anni 1738. col. 788. Moreri in Dictionario Magno, verbo *Mexicus*. Authographum ab Illm̄s subscriptum Patribus asservatur in Archivio nostræ Ecclesiæ Metropolitanæ Mexicæ à fol. 191 ad usque 240 tertij Voluminis ex ijs quæ Erectionem ejusdem Ecclesiæ & Concilia Provincialia ejus tria complectuntur.

768 CONCILIUM MEXICANUM III, aliàs II anno 1565 indictum est & celebratum Mexici ab eodem Metropolitano Illm̄o D. M. D. F. Alphonso de Monrufar, qui sollemnissimæ causæ publicationis Romani Pontificis jussu faciendæ Sacri & Generalis

Concilij Tridentini, recens abfoluti pro Catholicæ in universum mundum diffusæ Ecclesiæ regimine, Comprovinciales suos Pontifices authenticis circum encyclicis litteris evocavit, juxta que pro ijs constituendis, quæ Americanæ Septentrionali nostræ Ecclesiæ opportuna viderentur & commoda. Mexicum convenere Illm̄o D. D. Fr. Thomas Casillas, Chiapensis, D. Ferdinandus de Villagomes, Tlascalensis, D. Fr. Franciscus Toral, Jucatanensis, D. F. Petrus de Ayala, Xaliscensis, seu Neo-Galleciæ, D. F. Bernardus de Albuquerque, Goaxacensis: cæteri itidem convocati Episcopi legitime præpediti, haud intercaerunt, memoratis de jure procedentibus, adstantibus que omnium Procuratoribus Ecclesiarum, Parochorum, & reliquorum, qui dato authentico Ediçto jussi fuerant Comitijs adesse.

769 Et principiò quidem Alphonfus Archipræsul, Episcopi, adstantesque cuncti unâ omnes voce & animo, collatitia sententia Sacrum OEcumenicum Concilium Tridentinum libentissimè amplexati fuerunt, & flexo poplite suspexere, professi se & gloriati filios esse Catholicæ Romanæ Ecclesiæ obsequentissimos, & ejusdem Capituli Romani Pontificis jussionibus ac nutibus etiam exsequendis promptissimos, subindeque & jurati Tridentinæ Synodo subscribere,

&

& in singulis Provinciæ Diocesisibus ipsam publicari jusserunt, atque in usum omnia ipsius Decreta & Præscripta Canonesque deduci, pro ut, Deo auspice, ex tunc ad nostra usque tempora ad unguem & sanctè servantur. Atque hoc cum esset Provincialis Concilij hujus caput, primum omnium in eo versatur faciendò ac firmando. Reliqua ad vigesimū octavum usque, quod postremum est, infumuntur in fovendâ Ecclesiasticâ disciplinâ, & ijs faciendis, quæ Neo-Christianorum institutioni congruunt, & universæ Reipublicæ salutaria sunt judicata. Postremò, confirmatum fuit Concilium Mexicanum decem retrò annis habitum, scilicet anno 1555, quod exactè observari Patres volvere, aptarique Decreta ejus Sacrosancti Tridentini sanctionibus omnibus, in primis autem cis quæ Matrimonia clandestina irrita profus ac nulla faciunt. Atque ut sancita in præfenti Mexicano Concilio palam omnibus nota fierent, die 11 Novembris ejusdem anni 1565 in Cathedrali Ecclesiâ solenni promulgata sunt more, ipsis Illm̄s. Patribus in eam confluentibus, atque ipsos comitantibus Generali Regio Novæ Hispaniæ Visitatore Licèciato Valderrama, & Regijs Auditoribus Doctoribus Ceinac, Villalovos, Puga, & Villanova, itemque Decano & Capitulo ejusdem Ecclesiæ, Rectoribus Urbis Mexicanensis, in-

T2

numerisque alijs, coram faciente fidem Norario Apostolico & à Secretis Cœcilij Joanne delbarrera. Tum Præsules congregati Illm̄i. decrevere, uti publici juris fierent Apostolicæ Constitutiones 7, quas paulo ante à Catholico Rege missas, acceperant, Indorum atque hujus Americæ Episcoporum favori, & rei christianæ commodis admodum profuturas.

770 Hujusce Concilij editio nulla est, cujus Authographum ab eisdem assistentibus Prælatibus subscriptum, extat in Tabulario Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ t. 3. citato à fol. 160 usque ad 169. Exemplar ejus Mss vidimus in Bibliotheca Collegij Maximi SS. AA. Petri & Pauli Societatis Jesu, ad calcem Voluminis Concilij Mexicani habiti anno 1555 & editi anno sequenti proximè: Huic autem Mss titulus hispanus præfixus est: *Concilium Provinciale Mexici celebratum anno 1565.* Opinamurque Volumini istud unum ex illis esse, quæ accuratissimus & eruditissimus D. Carolus de Siguenza & Gongora Jesuitis Collegij Maximi testamento legavit.

Meminere ejus Concilij Joannes Diez de la Calle in Memoriali supra citato fol. 46 col. 2. & P. F. Balthassar de Medina in Chronicis Provinciæ S. Didaci Mexicanæ fol. 236. n. 825 tria. Metropolitana hujus Ecclesiæ Concilia enumerans tacitis annis primi & secundi, nisi, quod facit

Be.

Betancurcius loco superius dicto, primum intellexerit habitum à P. F. Martino de Valencia anno 1524, secundumque indictum ab Illmo. Alphonso Montufare anno 1555: tertium coactum ab Illmo. D. D. Petro Moya de Contreras anno 1585, subindeque habitum anno 1565 præterierit, quod ejus notitiam aufergit, uti credimus Synodum hanc latuisse Aegyptium Gonzalez Davila ejus immemorem, & Pinclum in Epit. Bibliot. Occid. ac plerosque Scriptores.

771. CONCILIUM MEXICANUM IV, aliàs III, omnium America Septentrionalis solennissimum fuit, cujus Decretum indicationis Mexici subscriptum haberet 1. Februarij anno 1584. ab Illmo Archiepiscopo Mexicano D. D. Petro Moya de Contreras, ut 6 Januarij proximè venturi anni frequentissima haberentur Ecclesiastica totius Provinciae latissimè patentes comitia. Edicta & in ipsa Metropoli, Monasterijs que Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinianorum, & Jesuitarum publicè legi jussit, & in singulas Dioceses tria pro Episcopo, Capitulo, & Populo vocandis transmissit, ut Goatemalenses & Chiapenses, Michoacanenses & Tlascalenses, Jucatanenses & Goadalaxarenses seu Xaliscenses, Veraepacenses & Goaxacenses, sacri juxtà & prophani Ordinis viri primates cum Mexicanensibus Reipublicæ christia-

nè gratià designato tempore, convenirent. Quod verò eorum multum quam longissimè à Mexico distanti, immanibus præditi fluminibus, inaccessis montibus, & hiberni temporis permultis incommodis, præfinità sextà Januarij die adesse haud possent, 25 Decembris anni 1584 ad usque 20 Januarij prorogata dies fuit.

772. Interea loci, Archiepiscopus omnia pro ritè & sapientissimè incundo Concilio & habendo disposuit: A Secretis voluit esse D. D. Joannem de Salzedo in Academia Mexicana Prætorium Sacrorum Canonum Antecessorem; Fiscalem verò D. D. Dionysium de Ribera Metropolitanicæ Ecclesiæ Parochum. Pro Theologicis consultationibus destinavit MM. F. Petrum de Pravia Dominicanum, ejusdem Academiae Primariæ Theologiæ Cathedralis Professorum, & F. Melchiorem à Regibus Augustinianum, Primarium itidem in ipsa Academia Theologum (erant enim hujus Facultatis Primarij duo) item F. Joannem Salmeron in Monasterio S. Francisci Mexicano Lectorem Theosophiæ, P. Joannem de Plaza Soc. JESU Doctorem Theologum, & D. Ferdinandum Ortiz de Hinojosa Universitatis Professorem Philosophiæ, & cum in hac, tum etiam in Theologiâ & Canonico jure doctoralibus apicibus redimitum. Consultores, quod ad juris negotia & sacras attinet, insigni-

nivit Ecclesiæ suæ Archidiaconum Doctorem D. Joannem Zufnero; mox dictum D. Joannem de Salzedo Secretarium, utroque fundurum officio: Doctorem Fulgentium de Vic & Patrem Doctorem Petrum de Morales, Soc. JESU, non minus Juris quam Theologiæ peritum; Pro Ceremonijs ad amplexum servandis Canonicum Alphonsum de Esija, & qui ad manum esset Secretario Concilij Baccalaureum Jacobum de Elquivel Præbyterum, Notarium constituit; ac ne quid prætermittamus, ad januam futurorum Præbyteros Ferdinandum de Espinaz & Balthassarem Vellerimum statuit, Nuntiosque Ferdinandum de Bustamante, & Lazarum Hernandez itidem Sacerdotes. Unicuique destinatum suum explicate munus traditum est scripto, minutissimèque & oculatissimè cautè sunt omnia, quæ precedentiam, sedes, ordinemque universum concernerent, ne gravissima Congregationis quietem & decus dididit aliquod aut dubicras inturbarent.

773. Ubi præfinita 20 Januarij dies proxima erat, convocati Illmi. Præsules Mexicum accesserunt DD. FF. Gomez Garcia à S. Matia, Goatemalensis, D. D. F. Joannes de Medina Rincon, Michoacanensis, D. D. Didaeus Romanus, Tlascalensis, D. D. F. Gregorius Montalvo, Jucatanensis, D. D. F. Dominicus Arzola,

Goadalaxarensis, seu Novæ Galliciæ, D. D. F. Bartholomæus de Ledesma, Antequerenfis, seu Goaxacensis. Tum autem 18 Januarij publicè in Foro & alibi conclamatum fuit, incundum Concilium diè SS. Martyribus sacra Fabiano & Sebastiano, qua demum illucescente, Supplicatione solennissimâ & ordinatissimâ Ecclesiastici omnes Laicique plurimi à Templo S. Domitici ad usque S. Augustini processerunt, Edictaque iterum lecta sunt, cum latino, tum etiam hispano sermone composita. Aderant in florentissimâ hæc coronâ Auditores Regij omnes atque Fiscalis, coram quibus, Patribusque Concilij & reliquis palam fecit Archiepiscopus Mexicanus D. D. Petrus Moya de Contreras, Concilij Præses, non hoc tantum nomine se Comitibus adfuturum, sed etiam Regio, ut qui Catholici Hispaniarum Monarchæ vicès agebat, Visitatorisque Generalis Regni hujus, Gubernatoris & Ducis Hispaniæ Novæ, atque Auditorij & Cancellariæ Præsidis munera obibat.

774. Auspiciatissimè cepti fuerunt conventus, & re divina, & precibus sacris, & Declamationibus eruditis, quæ multæ licet fuerint à doctissimis viris habitæ, horum tamen latent nomina, unius præter Roderici à S. Bernardo Collegij Majoris Divæ Mariæ & Omnium Sanctorum alumnus, postmodum madipedas Car-

liras sectati, quibus semel & iterum Provincialis est datus, qui que Cuipacanenſe Collegium florentiſſimum condidit, ut Generalis eorum Chronographus P. F. Emmanuel, à S. Hieronymo memoria prodidit Tom. 6. Refor. Lib. 25. cap. 3. Adhæc, in decurſu Congregationum alia à literatis Mexiceis data obſequij erga conſcriptos Patres ſunt monumenta, Poeticumque inſtitutum Certamen, cujus rudera habemus apud D. D. Bernardum de Balbuena, tunc Baccalaureum poſtea Episcopum Portudiviteanſem, qui in Magnalibus Mexiceis fol. 31. col. 2. hujus reſtis eſt concertationis habitæ in feſto Corporis Chriſti, coram ſeptem Episcopis, ſubjungens hiſpanos à ſe ea occasione conditos numeros, & à iudicibus premio donatos.

775. Porro multa & graviffimi negotia momenti in quotidianis ſeſſionibus agitata fuere pro tota Provinciâ, revocatis ad incudem præhabitis anno 1555 & 1565 Provincialibus Concilijs Mexicanenſibus, ut ea rursus obſervarentur, quæ præſenti rerum ſyſthemati convenirent, quæ verò, experientiâ duce, oporteret aut enucleatius tradi, aut aliter diſponi, novis conſtitutionibus ſancirentur, nullumque Eccleſiaſtica diſciplinæ, & rei Chriſtiane caput maneret, quin ipſi proviſum irret. Præter hæc à colendiſſimis Patribus & Doctiſſimis

Conſultoribus meditata & propoſita accuratiſſimè que perpenſa, undique vaſtiſſimi Regni Quæſita ſunt allata difficillima certè, de quibus vel in Concilio, ſi ita illiſis, videretur, Decretum fieret, vel, reſponſione datâ, ij qui interrogaverant inſtruerentur. In his fuere contractus ab argenti & auri foſſoribus & negotiatoribus inſtituti pro emendo, vendendo, & tractando metallo, cum adhuc terreis admixto ſæcibus, tum etiâ eis purgato, & ex arte polito. Multæ etiam negotiationes aliæ, plura lucri gratiâ quærendi commercia, id que genus in examen adducta ſunt. Impartitiones ſolitæ Indorum, quæ negotiorum jam diu multum faſceſſerant, ad libram revocata fuerunt, & pleraque alia, quibus acceſſit ab Reſcripto Auditorio tranſmiſſum ad congregatos Patres dubium de bello adverſus Chichimecâs valde anceps, de quo, ut etiam de nonnullis alijs, Concilium non modo à Conſultoribus ſuis requiſivit ſententiam, verum aliorum quoque Sapientum audire reſponſa voluit ſcriptis data (ut mos fuit perpetuus Concilij) Dominicanorum, Franciſcanorum, Auguſtinianorum & Jeſuitarum. Hæc inter ab uſque Philippinis Inſulis litteræ acceptæ fuere, per quas primus eorum Episcopos vir Clariffimus D. D. F. Dominicus de Salazar, è Mexicano Prædicatorum Cœnobio aſſumptus, Concilij Pontifices de multis pro Ec-

Eccleſiâ ſuâ inſtituendâ rogabat. 776. Plurimam certè Patres operam in tot expediendis poſuerunt: plurimam Conſultores; præ reliquis tamen à ſecretis una & conſultationibus D. Joannes de Salcedo, qui à capite ad calcem Decreta ordinavit omnia Concilij, atque in quinque Libros diſtinxit, quorum primus 26 titulos; ſecundus 10; tertius 36; quartus duos; quintus 12 continet; ſinguli autem tituli multa Decreta. Ad calcem acceſſere Statuta ab eodem Concilio ordinata ex præſcripto S. Concilij Tridentini ſeſſione 24. cap. 12. de Reformatione, verbo Cætera, unico libro comprehenſa, in quatuor partes diviſa, ex quibus prima exhibet 18 capitula; ſecunda 11; tertia 9; quarta 10. Sanè opus quicumque legerit vir eruditus Doctiſſimum ſanè pleno ore dicet, ut ipſum appellare non eſt veritus Doctiſſimus in paucis atque Eminentiffimus Cardinalis de Aguirre. Id elucubraturus Salcedo eximie in utroque jure, qua eminebat peritia, æqualem in Concilij Eccleſiaſticis junxit eruditionem, evolutis, neſcitante perlectis 34. quæ uſu ei fuere, & quorum indicem dedit ad calcem Concilij hujus Mexicani priuſquam ad Statuta devenias fol. 100 editionis Mexicæ anni 1622. Singula autem indicat, opportunis ad marginem totius Operis locis, unaque plura pro vario argumento ex Juribus & Patribus monumenta.

Non abs re erit fragmentum hæc excribere Epistoſa pulcherrimæ & graviffimæ Concilio præfixæ ab Illmo. Archiepiscopo Mexicano D. D. Joanne de la Serna, qui typis excudi illud multo ſumptu & diligentia pari curavit, quod fragmentum lucem hætenus dictis afferat. Sic poſt alia hæbet.

777. Quod cum optime perpenderit D. Petrus Moya de Contreras Prædeceſſor noſter, vir jure mille titulis & nominibus venerandus, quavis graviffimis diſtentis curis, & totius hujus Regni Gubernatione occupatus, Provinciale Synodum coegit, in qua Doctiſſimi Episcopos comprovinciales interſuerunt, quorum maturo conſilio, & qua ſummâ præditi erant prædentiâ municipales leges fuerunt condita, conſonantes quidem Patrium antiquorum Doctrinæ, Sacrorum Conciliorum Decretis, ſervi communi conformes, maxime que regionis iſtius moribus, & hominum conditioni aptata. In qua re licet omnes, qui de jure Concilio interſuerunt, communiter inſudarunt: ſed in ordinandis & diſponendis Decretis plus cæteris laboravit Doctor D. Joannes de Salcedo tunc Secretarius ſimul & Conſultor dicti Concilij: Sacrorum Canonum Primaria Cathedra Moderator, & in illa nunc Emeritus, noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ meritiſſimus Decanus, in poſterum autem majorum hujus Regni Eccleſiarum Pontificalem ſedem pro merito- rum cenſurâ occupaturus. Hætenus Illmiſ. D. Serna, qui multa paucis complexus eſt, & Concilij in-

stitutum ac doctrinam bono in lumine collocavit.

778. Absolutum fuit die 17 Septembris ejusdem anni 1585, qua die recurrente singulis annis solenne in Ecclesiâ Metropolitana nostra festum habemus pro gratiarum actione ab memorato D. D. Joannè de Salcedo propria aere institutum. Tunc verò, offendiculis rem morantibus, non nisi die 16 Octobris ab universis eidem qui adfuerant Episcopis unâ cum Archiepiscopo subscriptum fuit & sigillo Conciliarij munitum, ac nomine Secretarij obfirmatum. Mox in Cathedrali Ecclesiâ, incredibili pompâ & acclamatione, frequentiaque omnium Ordinum, Regij status ac politici, Ecclesiasticique, & numeri Populi confertissima, publicatum. Scriptum vernaculè fuerat ab memorato supra Clarissimo Doctore Salcedo; dein verò latinè conversum est à P. Petro de Ortigoza Societatis JESU, in Academia Mexicana Sacræ Theologiæ Doctore. Antesignano multis titulis colendissimo. Priusquam typis committeretur, ea peracta sunt, quæ mox laudatus Archiepiscopus Dominus Serna in citata Epistola annectit. *Subjectum fuit* (inquit) *celebre hoc Concilium integerrima censura. Senatus Regij Indiarum, de cujus licentiâ & approbatione translatum est Apostolica auctoritate firmandum, in quo quidem tantum temporis consumptum est, ut jam antiquatum videretur, seu de me-*

dio sublaturum; sed cum adverissem quod quò impares sunt vires nostræ ad tantam Provinciam sustinendam, eò pluribus auxilijs indigemus, quorum præcipua sunt dicti Concilij Decreta, nullum non movimus lapidem, nulli sumptui pepercimus, ut Volumen hoc oblivioni traditum in lucem prodiret preloque mandaretur, &c. Faultè tandem ac feliciter Romæ à Sacra Congregatione Cardinalium Concilio Tridentino interpretando auctoritate SS. Domini nostri Sixti V præpositorum expeditum fuit 27 Octobris anno 1589. Regiaque Scheda data 9 Februarij anno 1621. Privilegium supra memorato Illmo. Archiepiscopo Mexicano D. D. Joanni de la Serna concessum est, ne quis præter ejus beneplacitum typis edere Voluissent possit. Prodiit itaque hoc titulo

Sanctum Provinciale Concilium Mexici celebratum anno Domini millesimo quingentesimo octoagesimo quinto; Presidente in eo Illmo. ac Rmo. D. D. Petro Moya de Contreras Archiepiscopo Mexicano. Romæ confirmatum die 27 Octobris anno 1589. Nunc verò ad instantiam & ex sumptibus Illmi. ac Rmi. D. D. Joannis de la Serna Archiepiscopi Mexicani jussu Regio editum Mexici apud Joannem Ruiz Typographum anno Domini 1622. in tono.

Editionem hanc consecutæ sunt alia plures, ab ijs adornatæ, qui Collectiones Conciliorum, cum Generalium, tum Provin-

cialium studiose curantur. Extat Mexicanum hoc nostrum in Labbeana Lutetiæ Parisiorum excusato ultimo: item in altera collectione Regia P. Joannis Harduini Societatis JESU Parisijs etiam edita in Typographia Regia anno 1714 tom. 10 à col. 1587 usque ad 1714; præterea laudatus supra D. D. Cardinalis de Aguirre tom. 4 Collectionis maximæ Conciliorum omnium Hispaniæ & Novi Orbis à pag. 292 ad usque 411 ipsum exhibuit; à pag. verò 412 ad usque 416 Catalogum Præfulum Ecclesiæ Mexicanæ cum ipsorum elogijs inseruit, & de subscriptionibus hujus Concilij nonnulla eruditè subjunxit, n. 3. Catalogi ubi de D. D. Petro Moya de Contreras Concilij Præfide, Concilium ipsum Doctissimum sanè compellans. Prius verò quam Collectionem dictam publici juris fecisset, in Notitia Conciliorum Hispaniæ atque Novi Orbis prodromi instar edita in 8 Salmanticæ apud Lucam Perez. 1686 Concilij nostræ specimen dedit atque Compendium à pag. 455 ad usque 460.

Editionem alteram proprijs sumptibus fieri procuravit Illmùs D. D. Joannes Gomez de Parada Episcopus Jucatanensis, Vir clarissimus, & disciplinæ Ecclesiasticæ egregiè sollicitus, prodijt que Concilium Mexicanum Parisijs 1725 in octavo.

Ejus meminere, præter Betancurtium in Tractatu Urbis Me-

xicæ cap. 4. pag. 22. n. 110 & Medinam in Chronicis Provincia S. Didaci Mexicanæ fol. 236. col. 2. n. 825. ac alios nostros, Egidius Gonzalez Davila in Theat. Ecclesiæ Mexicanæ pag. 37. Joannes Diez de la Calle in Memoriali & Notitijs Sacris & Regalibus Imperij Indiarum Occidentalium fol. 46 col. 2. n. 26. Author Operis Lugduni editi apud Fratres de Ville 1738 hoc titulo: *Delectus Authorum Ecclesiæ Universalis seu Nova Summa Conciliorum.* Tom. 2. col. 2080. Author quoque Deffensionis Canonice pro Angelopolitani Episcopi dignitate fol. 84. col. 2. n. 30 usque ad 42 & fol. 86. col. 2. n. 37. multis ejus auctoritatem asserens. D. Antonius de Leó Pinelo, in Epit. Bibliot. Occid. col. 788. Idemque in Opusculo morali de Portione Chocolate dicta fol. 40. Moreri in Maximo Dictionario Historico verbo *Mexicus.* M. F. Joannes de Paz Dominicanus in Consultationibus suis, Consultatione 60 fol. 167. n. 396. testatus in Archivo Ecclesiastico Manilensi asservari Constitutionem SS. D. N. Urbani VII 11 Martij 1626 jubentis, Manilæ quoque Insularum Philippinarum Concilium hoc nostrum Mexicum ad unguem observandum, quod & citatus Pinelus in Opusculo nuper allegato conscripserat, & Regiæ novæ Collectionis Indiarum Legibus cautum est. Coronidem ve-

rò auream ut scriptis hæcenus imponamus, Smt. & eruditissimi Domini nostri Benedicti XIV Pont. Opt. Max. Opus de Synodo Diœcesana indicemus, in quo sæpius Concilium nostrum laudat, & pro varietate rerum, quas doctissimè, ut assolent, tractat, opportunè multis in locis citat. Atque hinc pronum est conjectare quanti habenda hæc Synodus sit, quæ tanti à Romanis Pontificibus, Catholicis Regibus, Virisque doctissimis & gravissimis, cum alibi, tum etiam in Romanâ Curia maximi æstimatur, ut præter alios, testis fuit nobis, qui in eadè diu egerat Illmòs. D. D. Joannes de Vizarron & Eguarrera Archiepiscopus unâ Pro-Rexque Mexicanaus.

777 CONCILIUM PORTUGALITENSE I seu SYNODUM DIÆCESANAM longè ante annum 1624. initam habemus ex Joanne Diez de la Calle, loco proximè indicando, testante, ita scriptum fuisse ab Illmò. quem statim memorabimus, Balbuena Præsides II Concilij quod subdimus.

778 CONCILIUM PORTUGALITENSE II seu SYNODUS DIÆCESANA celebrata est anno 1624 ab eisdem Episcopo Illmò. D. D. Bernardo de Balbuena, ut Ægydius Gonzalez Davila in Theatro illius Ecclesiæ habet p. 292 & Joannes Diez de la Calle in Notitijs Sacris & Regalibus Imperij Indiarum Occid. fol. 19 col. 1. ericque credimus Mss in

Archivio Ecclesiastico ejusdem Diœcesis.

779 CONCILIUM PORTUGALITENSE III habitum fuit anno 1645 ab eisdem Ecclesiæ præclaro Antistite Illmò. D. D. Fr. Damiano Lopez de Haro Ord. SS. Trinitatis, quod absolutum ut typis excuderetur Regium beneplacitum petivit & tenuit, ut Joannes Diez de la Calle testatur in Memoriali & Notitijs Sacris & Regijs Imp. Ind. Occid. fol. 19 col. 1. subjungens, Catholicum Regem datis ad Gubernatorem Intule & Magistratus litteris jusisse, ut pro eisdem Synodi observantiâ Episcopo ferrent suppetias. Meminit Concilij hujus Ægydius Gonzalez Davila in Theatro eisdem Ecclesiæ pag. 296. Utrum autem demum factum fuerit juris publici opere typographico, latet nos, qui nullibi Codicem expiscari potuimus.

780 F. COSMAS BORRUEL, Natione Hispanus, clara gente ortus Cefarauguste, studijs Mexicanus & Domicilio fait. A primis annis ad nostros traductus, Grammaticam & Philosophiam hausit in Max. Soc. JESU Collegio Mexiceo, plurimosque inter Condiscipulos ingenio & progressu litterario insignes dinumeratus est. Baccalaureus in Universitate nostra formatus, Gymnasijs eisdem se addixit Theologicis, & Academicam S. Philippi Nerij professus, magna utrobique laude donatus est, cum ab exulta se-

ve-

teriori Facultate, tum etiam ab amcenissimâ in re Poetica & Paenegyrica exercitatione. Ubi Theosophiæ reportaverat laurum, in Guadalaxarensis Curiam Novæ Galliciæ migravit, ab eisdem Episcopo D. D. F. Emmanuele de Mimbela, cujus clientelâ fuerat commissus, eo consilio vocatus, ut sacris initiaretur, Diœcesique inserviendæ munere destinaretur aliquo insigni, & eisdem dotibus congruè. Collegio itaque præfectus Seminario, & magni à sapientibus habitus, eo se abdicavit officio & spe ulterius in honoribus proficiendi, atque Instituta Seraphici P. S. Francisci sectari cupiens, apud eisdem Ordinis Regularis Observantiæ Apostolicum Collegium de Propaganda Fide, nisi fallimur, Zacatecanum solenni vota ritu concepit. Ut erat ad utrumque suggestum litteris comparatus & usu, & Lectoris Theologiæ in eodem Collegio munus strenuè exercuit magno eruditorum hominum plausu, & Prædicatorem Apostolicum egit multo cum fructu, ingenium, quo pollebat, & doctrinam in hunc destinatam finem intendens, ut Dei gloriæ & animarum saluti consuleret, proptereaque confessionibus excipientis, & cæteris severissimæ Congregationis suæ exercitationibus incumberebat. E multis à se scriptis concionibus, apud Sodales forsan stantibus, aliquas edidit hispano sermone, quas hîc subnectimus.

Synographa securior, & pro ad diem accipiendâ pecunia utilior: Concio habita in supplicatione ad Christum Dominum e Cruce pendentem pro Hispanorum Regum felicitate à Zacatecanis celebrata. Mexici, typis Josephi Bernardi de Hogal 1728 in quarto.

Nova spiritualis Arx in sublimiori Zacatecanorum colle pro ipsorum custodia & præsidio condita, seu Concio in Dedicatione Sacelli Patrocinio Deiparentis Virginis nomine edificato. Mexici, in eadem Calchographia 1729 in quarto.

Clarior Imago abstrusiora Deiparentis Virginis exhibens, seu Concio de mirabili Imagine Guadalupe Mexicea. Mexici, litteris Josephi Bernardi de Hogal 1733 in quarto. Extat tom. 9. Collect. nostræ.

Suam Christus donis Deitatem explicat: Concio dicta in solenni ad Crucifixum Dominum instituta oratione pro Zacatecanorum calamitatibus amovendis. Mexici, eisdem formis 1734. in quarto. Habetur tom. 12 Collect. nostræ.

Inter Authoris Opera Mss putamus

Tractatus Theologicos varios juxta Scoti systema elucubratos,

Quorum nos latent tituli, erunt que Sodalibus noti, eos hîc addituris. Quondam Poetica eisdem Opuscula vidimus, cum in Academiâ versaretur Neriana, & publicè ab ipso recitata, & privatim conscripta, acumine plena, nullo que negotio pulchra & affluentia

FINIS TOMI I.

PROTESTATIO AUTHORIS.



UM S. D. N. Urbanus Papa VIII die 13 Martij anno 1625 Decretum ediderit, idem que confirmavit die 5 Julij anno 1634 quo inhibuit *imprimi Libros hominum, qui Sanctitatis seu Martyrij fama celebres è vita miraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentis, sine recognitione atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sine ea impressa sunt nullomodo vult censi approbata; Idem autem Sanctissimus die 5 Junij anno 1631 ita explicuerit, ut nimirum, non admittantur *elogia Sancti vel Beati absolute, et quæ cadunt super Personam, bene tamen ea, quæ cadunt super mores et opinionem, cum Protestatione in principio, quod ijs nulla adsit autoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantum sit penes Authorem.* Huic Decreto, ejusque Confirmationi & Declarationi observantiâ ac reverentiâ, qua par est, insistendo, profiteor, me haud alio sensu quidquid in tota hac Bibliotheca Mexicana refero aut attingo, quod materiam concernit in prædictis Decreto & Declaratione ac Confirmatione contentam, accipere, & accipi ab ullo velle, quam quo ea solent, quæ humana duntaxat autoritate, non autem Divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.*

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la
última fecha abajo indicada.

IFCC 636

C
Z1421
E3

40324
FEVT

AUTOR
EGUIARA Y EGUREN, Juan José

TITULO
Bibliotheca Mexicana

